menda, qua laborat Valer. Max. I. v. tolli potest. Pompeius, post cladem Pharsalicam: *appellens ad oppidum Paphum, conspexit in litore speciosum aedificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit κακοβασιλέα vocari. quae vox spem eius, quantulacumque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit. Avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.* In MSS. legitur *Cacobasileam, Kutiobasilea, Captiobasilea.* Guietus coniicit κακοβασιλείαν. Torren. κακοβασιλεία. Verum, ni fallor est, *Catobasilea*, hoc est κάτω βασίλεια, cuius scripturae vestigia supersunt in *Katiobasilea* et *Captiobasilea.* Malum omen est in κάτω. Erant, puto, in insula Cypro, duo splendida aedificia, palatia, unum τὰ ἄνω βασίλεια, interius, a mari remotum, alterum τὰ κάτω, inferius, inferum, in litore, ad mare. Talia aedificia nomine distinguebantur, quod ipse situs dabat, ut mari *supero* et *infero* sim. Atque in ea re ipsa non erat malum omen, sed calamitas sua Pompeio faciebat. Cur aedes istae ad mare *cacobasilea* essent appellatae, caussa vix probabilis afferri potest, quum in *Catobasilea* sit facillima. Loca regionis versus mare dici τὰ κάτω, opposita τοῖς ἄνω versus interiora, notum est. Latini autem, huiusmodi nomina Latine scribentes, articulum omittunt; ut *Coelesyria*, alia.

POLYBII LOCUS CORRECTUS.

Dorymachus Aetolus contumelioso dicto a Messeniorum Ephoro lacessitus apud Polybium IV. 6. οὐκ ἐτόλμα παρακαλεῖν τοὺς Αἰτωλοὺς εἰς τὸν κατὰ τῶν Μεσσηνίων πόλεμον διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν ἀξίαν λόγου πρόφασιν, ἀλλ' ὁμολογουμένως ἐκ παρανομίας καὶ σκώμματος γεγονέναι τὴν ὁρμήν. Mendosum est παρανομίας, nihil enim deliquerant contra ius Messenii, sed petulanti ioco Dorymachi iram moverant. Itaque reponendum est ἐκ π α ρ ο ι ν ί α ς καὶ σκώμματος. Dixerat enim Messenius: νομίζεις γὰρ ἡμῖν σου μέλειν ἢ τῆς σῆς ἀνατάσεως, Βαβύρτα; ubi supple μέλειν (τι) ἢ τῆς σῆς κτέ. Erat autem Βαβύρτας ἄνθρωπος ἀσυρὴς τῶν ἐξηρμένων τὸν ἄνδρα κατὰ πάντα τρόπον, sed pro ἐξηρμένων nulla dubitatio est quin ἐξηρημένων sit emendandum.

C. G. COBET.